



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, 1680**

9. An suspensio lata à iure, quæ est censura, si reseruam non sit Pontifici, possit tolli ab Episcopo? Et an Parochus, & alius Confessarius possit absolvere à suspensionibus etiam à iure communi non ...
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)



& id tacetur de suspensione à beneficio, & ab aliis. Ira ille, & ego. Vide etiam Alterius de censur. tom. 1. lib. 3. cap. 1. quæst. 4. & tom. 2. disp. 3. cap. 2. hanc questionem doctè pertractantem. Sed ex his oritur pulchra quæstio.

## RESOL. VII.

An sublatà ab Episcopo suspensio ad reincidentiam, si detur interim appellatio, suspendat sententiam, ne postea suspensio contrahatur, quod idem queritur de interdicto? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 17.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Alterius de censur. tom. 2. disp. 8. cap. 6. ubi sic ait: Dubitari potest an interdictum suspendatur ad tempus, & durante suspensione interponatur appellatio, & impediatur effectus interdicti pro futuro tempore? Respondet Calder. in tract. de interdicto, p. 2. in fine, num. 31. & primò inquit quòd interdictum personæ suspendi non potest, sicut nec excommunicatio, sed tantum interdictum loci. Secundò ait n. 32. appellationem interpositam in casu proposito non posse suspendere effectum interdicti pro tempore futuro: & rationem affert, quia quando suspenditur interdictum, non tollitur, sed remanet habitu, & impeditur ne producat effectum in actu. Quare transacto tempore suspensionis non fertur novum interdictum, sed illud idem numero, quod erat ante suspensionem, & remansit saltem habitu ligans, operatur suos effectus sicut prius, idè appellatio crit sequens interdictum. Appellatio autem sequens censuram suspendere nequit.

2. Sed affirmativam sententiam loquens in specie de suspensione docet idem Alterius disp. 3. cap. 2. quia Episcopus numquam potest tollere suam censuram, nisi illam penitus tollat, quare si appelletur, & iusta sit appellatio, censura remanebit suspensa. Deinde in sententiis censurarum primus actus non potest separari à secundo, id est substantia sententiæ, quæ est primus actus, se jungi nequit ab effectu ejusdem sententiæ, quæ est secundus actus, quia censura trahunt secum executionem, idcirco Episcopus non potest tollere effectum sententiæ, remanente substantia. Quare si suspendit sententiam, illam prorsus extinguit. Unde si postea suspensus appellet, talis appellatio habet vim, ne Superior possit iterum ferre censuram, nisi antea cognoscatur de appellatione, facit cap. dil. tu, vers. quia vero de appellat. Unde ego puto cum Abbate in cap. ad hac Quoniam num. 5. de appellat. utramque sententiam probabilem esse. Sed huic affirmativæ magis adhæreo, quam tenet etiam Bonacina de censur. disp. 3. punct. 1. num. 4.

## RESOL. VIII.

An si quis appellet generaliter à sententia excommunicationis, suspensionis, & c. suspendat censuram?

Et quando appellans ad plures diversos judices appellare potest, valeat alternativa appellatio, v. g. appello ad Archiepiscopum, vel ad Papam?

Et an appellatio non debeat recipi nisi ex iusta & rationabili causa in appellatione specialiter expressa? Ex part. 5. tract. 10. Ref. 18.

§. 1. **R**espondeo hanc appellationem secundum jus civile esse validam, secus autem ex jure Canonico. Sed Decius in cap. consultuit, n. 4. & 5. de appellat. existimat quòd in usu juris nostri Pontificii inutilis non est huiusmodi generalis appellatio facta

simpliciter ad judicem competentem, nam quamvis omisso medio ad Papam, ejusve Legatum appellari possit, voluntas appellantis in dubio esse non censetur, sed potius præsumendum est appellationem ad proximum Superiorem judicem factam fuisse, in dubio enim jure communi potius, quam privilegio uti præsumitur, l. ejus militia, ff. de milit. testament. l. in testamento, C. de testamento militis. Quæ doctrina mihi valdè probabilis videtur, & ita qui appellat verbis generalibus ad judicem competentem, proxime Superiorem debet adire, non verò majorem omisso medio, etiam si ad illum provocare potuisset.

2. Sed quid dicendum, quando appellans ad plures diversos judices appellare potest, an valeat alternativa appellatio, v. g. Appello ad Archiepiscopum, vel ad Papam? vel si appellatio formula Procuratorum ordinaria concipiatur, v. g. Appello para ante quaten con derecho puedo, y devo; vel si appelletur conjuncta oratione ad diversos judices, v. g. ad illum, & ad illum, quo casu conjuncta pro disjuncta & alternata accipitur, l. sape, ff. de verb. significat. multi casu incertam & simul vitiosam appellationem esse existimant: at Panormitanus in præfati num. 11. eo casu non vitari alternativam appellationem ait, quando judici competenti alius incompetens per alternationem adjicitur, quasi tunc denegata appellandi potestate ad judicem incompetentem, certitudo voluntatis restricta sit ad unum solum judicem competentem. Si verò uterque judex appellatus æque competens sit, nonnulli dixerunt inutilem esse appellationem ratione incertitudinis ortæ ex alternatione judicum, l. prætor, §. quod autem, ff. de testamentaria tutela. Ego verò non puto huiusmodi alternativam appellationem adeò esse inutilem, vt pto non scripta habeatur, nam vitium incertitudinis, quod in alternatione latet, poterit ab appellante sequente declaratione purgari, v. g. si appellans unum ex alternatis judicibus elegerit, dum tamen talis declaratio, aut electio facta fuerit durante termino ad appellandum designato, videlicet intra 10. aut 5. dies à tempore sententiæ, l. final. C. de tempor. appellat. adeò vt eorum dierum transcursum, aut præscriptio eligendi facultatem excludat, quo casu redditur proculdubio inutilis appellatio, vt advertit, & dissipat Baldus conf. 310. per totum, lib. 4. Alexand. conf. 101. num. 2. lib. 2. & conf. 164. 167. & conf. 79. vol. 7. ex multis, quos ipse reulit, & ex glossa in cap. sis cui, de officio de leg. in 6. & hæc omnia supradicta docet doctus Valboa de Magroviejo in lection. de Summat. tom. 1. in cap. cum consultuit, num. 9. & 10. de appell. qui etiam num. 18. notat quòd appellatio non debeat recipi nisi ex iusta & rationabili causa in appellatione specialiter expressa.

## RESOL. IX.

An suspensio lata à jure, quæ est censura, si reservata non sit Pontifici, possit tolli ab Episcopo?

Et an Parochus, & alius Confessarius possit absolvere à suspensionibus, etiam à jure communi non reservatis?

Et an, si supradicta suspensio reservata sit Pontifici, & delictum sit occultum, possit etiam Episcopus dispensare? Ex parte 5. tractatu 10. Ref. 23.

§. 1. **N**egative stando in rigore juris responderetur. rez. disp. 29. sect. 1. n. 2. Faber de censur. 4. disp. 25. q. 1. disp. 6. c. 2. n. 55. & Turrianus de censur. lib. 4. disp. 45. dub. 2. ubi asserunt non esse eandem rationem de



de excommunicatione, & de hac suspensione propter maiorem necessitatem absolutionis ab excommunicatione, & absolutionis ab hac suspensione. Hæc enim suspensio non privat suffragiis Ecclesiæ, sicut privat excommunicatio, neque privat receptione Sacramentorum.

2. Sed contrariam sententiam ego teneo, quia quamvis in cap. nuper, de sent. excomm. solum sit sermo de excommunicatione; ratio tamen, quæ traditur, etiam in suspensione locum habet, scilicet quod eo ipso, quod ius non reservat absolutionem, videtur etiam concedere potestatem habenti, quæ ratio non militat in Parocho jurisdictionem non habente ad imponendas censuras, atque ita solum ex commissione sibi facta in cap. nuper, potest ab excommunicatione absolvere, quæ commissio facta est ad alias censuras, quod si talis absolutio reservata sit Pontifici, & delictum sit occultum, potest etiam Episcopus dispensare, ex Concilio Tridentino *supra allegato*, & ita docet Layman lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. num. 2. Avila part. 3. disp. 6. dub. 1. concl. 3. & 4. Cornejo in 3. part. tract. 5. de suspens. disp. 5. dub. 2. q. 1. Filiucius ubi *infra*, & Hurtadus de suspensione, diff. 12. n. 31. ubi sic ait: Dicendum est suspensionem à jure latam, & censuram sive generalem, qua communitas, sive speciale, qua particulares personæ suspenduntur, posse quoties non reservatur, auferri ab Ordinario suspensi, ut efficaciter deducitur ex cap. nuper 29. de sententia excommuni. quia ex una parte in absolutione illius, nullius tribunal turbatur, cum non fuerit lata ab homine, & ex altera ab ipso, quod non reservatur, videtur concedi inferiori, aut in eo relinqui facultas ad id, alias non esset necessaria reservatio, si Ordinarius non possit non reservatam auferre: eam tamen non potest proprius Parochus, & multo minus ordinarius Confessarius auferre, quia tantum habet jurisdictionem in foro interiori, seu Sacramentali, in quo nequit suspensionem auferre, quamvis possit excommunicationem, quia suspensio non impedit absolutionem à peccatis, sicut impedit excommunicationem. Hæc Hurtadus. Sed quoad hoc ultimum dissentit Vivaldus in suo Candelabro tit. de suspens. n. 31. quam asserit, nec improbat Filiucius tom. 1. tract. 17. cap. 4. n. 70. & hanc opinionem tenet etiam Præpos. in 3. p. 9. 3. de suspens. dub. 4. n. 31. quando suspensio lata est indefinite, & quando ponitur in pœnam propter peccatum præteritum, si retineat rationem censuræ. Verum cum Hurtado sentit Layman lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. tom. 2. Avila part. 3. disp. 6. dub. 1. conclus. 2. Henriquez lib. 1. 3. cap. 35. num. 2. asserentes Parochum, & alios Confessarios non posse absolvere à suspensionibus, etiam à jure communi non reservatis.

## RESOL. X.

An suspensio lata sub conditione, v. g. donec satisfaciatur, vel restituatur, sequuta satisfactione tollatur ipso facto sine aliqua absolutione?

Item dicendum est de interdicto, secus vero de excommunicatione. Ex p. 5. tr. 10. Ref. 24.

§. 1. R Esponder negativè Suarez disp. 29. sect. 2. numero 14. Alter. tom. 2. disp. 8. cap. 2. Gordonus tom. 2. lib. 7. quest. 14. num. 77. & Filiucius tom. 1. tract. 11. cap. 4. n. 72. Si suspensio sit lata tanquam censura, & non in puram pœnam; nam censura propriè dicta non tollitur nisi per absolutionem, & sensus illius conditionis non est talem absolvendum esse ante satisfactionem, ea autem posita, nihil ob stare, quominus possit absolvi.

Tom. V.

2. Sed affirmativæ sententiæ ego adhæreo, quam tuetur Cornejo in 3. p. tract. 5. de susp. disp. 5. dub. 2. quest. 1. Dico igitur dictam suspensionem sine expressa ulla absolutione tolli impleta conditione. Et ita etiam docet Layman lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 4. n. 1. Hurtadus tract. de suspens. diff. 12. n. 29. & Bonacina de cens. disp. 3. punct. ult. n. 1. Nec valet dicere quod excommunicationis lata cum hac conditione, donec satisfeceris, non cessat posita satisfactione, sed adhuc auferenda est per absolutionem: ergo idem dicendum videtur de suspensione. Nam respondent aliqui negando maiorem, aliqui verò respondent negando consequentiam, tum quia iudices inferiores Summo Pontifici videntur maiorem facultatem habere circa suspensionem, & interdictum, quam circa excommunicationem, propterea sicut possunt ferre suspensionem & interdictum ad aliquem solum effectum, ita videntur posse illas censuras ferre cum hac conditione, ut illa adimpleta cessent, quod non accidit in excommunicatione, tum quia ita usu & praxi receptum est in suspensione, & interdicto, non verò in excommunicatione. Et ideo post hæc scripta invenio nostram sententiam docere Portel. in dub. Regul. verb. suspensio, n. 11. Vega in speculo Curat. tom. 2. cap. 12. §. 15. n. 138. & doctus Anguianus de leg. lib. 2. contr. 3. n. 48. ubi sic ait: Inter excommunicationem ex una parte & suspensionem & interdictum ex alia, illa videtur præcipua differentia quod interdictum atque suspensio nullam exposcunt certam formam, neque verba requirunt, ut cessent & suspendantur; contra verò excommunicatio major certam formam prærequirit ad hoc ut excommunicatus etiam secuta satisfactione absolvendus sit, sicuti probant nonnulla iura ad id plus quam expressa, inter quæ primum locum tenet text. sic interpr. in cap. servetur 2. q. 3. ibi, quousque Episcopo suo visum fuerit humaniorem circa eos ferre sententiam: nec minus confirmat textus in d. cap. à nobis, ibi, Absolutionis etiam forma, & in d. cap. cum desideres, in illis verbis, Nisi fuerit secundum formam Ecclesiæ, &c. quibus iuribus aperte demonstratur absolutionis certam præfinitamque formam in Ecclesia Catholica receptam esse, quæ sub aliquibus verbis vinculi relaxationem denotantibus concedatur, necesse est. Unde deducitur per sequelam ad relaxationem interdicti & suspensionis sufficere quidem tacitam Superioris voluntatem; quæ resultat ex illis verbis, suspendo, vel interdicto donec satisfecerit, quippe ubi non requiritur expressa absolutio, seu relaxatio, sufficit tacita ex mente proferentis interdictum, sive suspensionem deprehensa, ex reg. l. 3. ff. de reb. cred. & si cert. petatur. Retrò dicendum est in excomm. cujus absolutio non potest ex conjecturis, & tacita excommunicantis mente deduci, sed expressa desideratur. Hæc Anguianus, qui iuste carpit Ripam in cap. 1. de iudic. num. 24. contrariam sententiam docentem quoad interdictum.

Pro interdicto inf. in tr. 4. lege doct. ac. 23.

## RESOL. XI.

An ablata contumacia cesset suspensio ipso iure, sine ulla absolutione?

Et quid de excommunicatione, & interdicto, quia de excommunicatione maiori cautum est, quod non tollatur per solam respicientiam, absque absolutione? Ex part. 5. tract. 10. Ref. 25.

§. 1. A D hoc dubium responder Turrian. lib. 4. disp. 45. dub. 2. ubi sic ait: Restat explicandum quid sit faciendum, si recessit à contumacia, & offert satisfactionem? Aliquorum opinio est in hoc eventu non egere absolutione hominis, sed ipso facto

P 3